PLATO. ARISTOTELES
Entstehungsort unbestimmt (Tirol?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 175v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



esse gloriam virtutis legimus eos ac perlegimus Adeoque nos
iocundissima fuit eorum lectio doctrina et gravitas tum etiam
interpretationis tue dignitas ac elegantia ut illud nobis insti-
tuerimus seu domi sive militie fuerimus eos numquam a nostro latere
discedere Que certe si non cum illa divina platonis eloquentia se
conferre posset parum tamen nostra quidem sententia videatur infer-
ior ut habeamus semper cum quo possimus oblectari ac reli-
quum vite cursum qui nobis a negotiis vacat conquiescere Sit
que nobis quasi comites ac consultores vite degende ut dicitur
agamenoni illi grecorum principi nestoris senis sapientiam
extitisse ac enee nostro achate illum socium fidissimum Sicque
eodem in loco et platonem ipsum et Candidum intuebimur
et admirabimur Qui non minus certe quam nos ipsi pro dignitate
nostra videtur elaborare Propterea te hortamur tibique persua-
demus et si possumus etiam impellimus ut ad certa perficienda omnem
animum tuum ac studium vertas quo perfectos hos libros conte-
plemur Quorum desiderio ac voluptate mirifice affecti sumus.
Nec existima quicquam posse nobis afferri gratius quam ea que pertinet
ad disciplinam cultumque literarum Nos vero habes ac
habebis quo ad voles qui semper tuis studiis favebimus. Verum
livium habemus alios que prestantes viros et omnia fere ciceronis
opera que reperiantur Si quid tamen habes egregii rogamus
facias nos etiam participes Vale Ex london x kl aprilis 1539

P. Candidi decembris oratoris ad illustrissimum et litera-
tissimum principem dominum humfredum ducem cloucestrensem in
transmissione omnium librorum policie platonice epistola
Conclusiva